





177  
1778, 1  
9  
CONSULTISSIMI

ATQVE EXIMII

SUPREMORVM IN VTROQVE IVRE HO-  
NORVM CANDIDATI

FRIDERICI NATHANAELIS  
VOLCMARI

VRATISLAVIENSIS

SOLEMNIA INAUGVRALIA

D. XVI. OCTOBRIS MDCCLXXIIX.

PVBLICE RITEQVE CELEBRANDA

INDICIT

NON NVLLA

DE VIRTUTE CONVENTIONIS QVA FVNDI VEN-  
DITI TRIBVTA IN VENDITOREM  
TRANSFERVNTVR

AD L. XI. COD. DE PACTIS ET L. I. COD. SINE CENSU ET RELIQVIS

FVNDVM COMPARARI NON POSSE

PRAEFATVS

GEORGIVS SAMVEL MADIHN

ORDINIS IVRISCONSULTORVM H. T. DECANVS.

TRAIECTI AD VIADRVM,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI.



CONSULTISSIMI

ATQVE EXIMI

SPREMORVM IN VTROQVE IVRE BO-

NORVM CANDIDATI

FRIDERICI NATHANAEI

VOLCMARI

VRATISLAVIENSIS

SOLEMNIA IN AVGVSTIA

D. XVI. OCTOBRIIS MDCCXXIII.

PABLICE RITQVE CELEBRANDA

INDICIT

NOB. STALL.

DE PRINTE CONVENTIONS QVA ET INDI KEN-

DEI TRINTEM IN VENDITOREM

TRAMMERNITVE

AD LXXI. COD. DE SACRIS ET L. I. COD. SINE CRISA ET RITQVE


TRINTEM COMPARAT KON TORS

PRAEFATVS

GEORGIVS SAMVEL MADIVM

ORDINIS UNIVERSITATIS N. S. D. C. X. V.

THEATRO C. O. B. S. C. I. D. R. A. T. I. S.  
THEO JOHANNIS CHRISTIANI WINTERI.





**E**a plerumque est hominum pragmaticorum, doctrina super quaestione, *utrum valida sit conuentio, qua venditor tributa fundo vendito imposita, post traditionem soluenda in se recepit?* ut eam quidem intuitu fisci, non vero ratione ipsorum paciscentium effectibus suis destitutam esse, contendant, adeo ut, quamuis ab emtore et fundi venditi possessore ipsa tributa fisco soluenda sint, ad ea tamen a venditore repetenda ei a fisco emti concedenda esset. Sententiae huius origo repetenda mihi videtur ex ipso glossatorum studio, ut videre licet ex glossa ad *l. I. Cod. sine censu* apud PETRUM ab AREA BAUDOZA. Lugdani 1593. qui more suo ipsarum legum vim atque mentem praeternaugarunt. Magno sane numero in medium produxit huius sententiae patronos, et quorum a partibus ipse stare voluit AVGVSTINVS LEYSERVS, Spec. 40. Med. 6. qui praeter ea ex aliis iuris Romani argumentis atque subsidiis eam deriuare ausus fuit, quamuis iste sibi in eo certe non satis constare videatur, quod hanc controuersiam ex solis legibus ciuilibus dirimi non posse, pu-

A

tet.

tet. *Ab utraque enim parte, inquit, leges clarissimae afferuntur. Iustum et seruandum hoc pactum esse VLP IANVS in L. 52. §. 2. de Pactis atque id saltem, quantum ad fisci rationem, non valere PAPINIANVS in L. 42. D. de pactis, aiunt. Contra ALEXANDER Imperator in L. 1. Cod. sine censu vel reliquis fundum comparari non posse, ex huiusmodi conuentione etsi in stipulationem deducatur, vel contractui adiciatur, actionem competere negat. Equidem neutri parti responsiones ad istas leges desunt, quarum tamen nulla, ut verum fateamur, nobis (LEYSERO) satisfacit. Itaque veteres etiam circa istam quaestionem dissensisse inuicem, et contrarias eorum opiniones a TRIBONIANO per imprudentiam corpori legum suarum insertas fuisse, putamus (LEYSERVS nempe ceterique qui pari cum acumine oeconomiam legislationis Iustinianae aestimare audent) Nos tamen, pergit LEYSERVS, amplectemur eorum qui pactum tale inter paciscentes valere atque actionem quoque producere dicunt, sententiam, quippe quae et aequitati et analogiae iuris nostri magis conuenit. Aequitatis autem, quae tantopere sibi metipsum placet LEYSERVS, causam tam frigide perorauit, ut haec commenta ab eo describere, inutile prorsus haberem negotium. Id certe LEYSERO lubenter dandum est, clarissimam omnino esse legem 1. Cod. sine censu limpidissimumque esse rescripti intellectum, quo ALEXANDER Augustus actionem ex vendito eius rei causa locum habere posse plane negauit, sed certe quoque magnis nubibus acies Leyseriana obducta videtur dum clarissimam VLP IANI atque PAPINIANI doctrinam in LL. D. citatis traditam in suas partes trahere perquam sinistre conatur. Iureconsulti enim ibi de validitate pacti inter debitorem atque creditorem tractarunt, quae nempe conuentione contractui pignoratitio cum antichresi simul adiecta*

adiecta debitor tributa fundi pignerati durante pignore soluenda ita in se recepit, vt ea tributa, quae creditor tamquam fundi pignerati possessor, semper quidem reddituum publicorum receptori soluere necesse habet, a debitore repetere possit. Et sane indoles pignorum eiusmodi conventionem de qua Iureconsulti responderunt, tamquam validam admittere poterat, cum debitor dominus et possessor ciuilis ipsius fundi pignerati prorsus maneat, isque fundus a creditore finita pignoris causa debitori restituendus sit. Quocirca inter creditorem atque debitorem ea causa in eo tantum versabatur in specie illa subiecta, vtrum et quousque creditori fundo pignerato in compensationem debiti eiusque vsurarum vti atque frui liceret, an nempe, deductis tributis, ceteri ipsius fundi pignerati fructus solum in compensationem crediti conuertendi, an vero vniuersis praedii pignerati fructibus ita compensandum esset creditum, vt tributa aerario publico soluenda inter ea non ex ipsius praedii fructibus, sed a debitore ex aliis suis bonis praestarentur. Itane est LEYSERE! vt a causa pignoris praediique pignerati qualitate, ad causam emtionis venditionis et ad fundi venditi onera tuto te argumentari posse credas? Ego certe non putarem. Discrimen enim inter vtrumque negotium tam late patet, vt nullam fere in hac re aequalem habere possit causam. In venditione fundi agitur de dominio eius, de omnibus prorsus emolumentis, de omnibus eius accessionibus, de omni eius causa, atque adeo de omnibus oneribus ipsi fundo impositis in emtorem transferendis. In subiecta autem specie, quam PAPINIANVS et VLPIANVS tam bene tractarunt, sola versatur pignoris cum pacto antichretico coniuncti causa, atque adeo solius creditoris interest, tam securitatem ipsius crediti in fundo pignerato habere, quam ex huius fun-

di emolumentis fructibusque percipiendis ipsius crediti solutionem accipere. Pauci praeter ea ignorant, creditorem in pignore mero nihil plane fructuum percipere nullumque plane usum rei pigneratae iure facere posse, eumque si inuito debitore percepturus esset, furtum usus committere. Iam vero, si antichresis cum pignore coniuncta est, creditor quidem fructus fundi pignerati percipiendi iure gaudet, sed tantum crediti compensandi ergo re pignerata uti fruique ei licet. Vulgati quoque iuris est et ex tot limpida legislationis Romanae monumentis tam liquide adparet, creditorem antichreticum ipso iure ad reddendas de fructibus ex praedio pignerato perceptis rationes debitori suo obligatum esse. Proinde debitoris maxime interest, decernere in quemnam finem fructus praedii sui oppignerati conuertendi, eiusque adeo a libero arbitrio pendet, modum consentiente creditore definire, quousque ex fructibus fundi pignerati quotannis ipsum creditum compensandum sit, et prono igitur argumento plane sequitur, eum omnino tributa reipublicae solvenda in se ita recipere posse, ut creditori pecuniam fisco eorum nomine solutam quotannis, aut prout alias conventum fuit, refunderet. Sed aliam longe causam inter venditorem atque emtorem subesse ipsa huius negotii indoles satis liquide docet. Proinde satis certum est, nullum plane argumentum ab *ULPIANI* et *PAPINIANI* doctrina in *L. L.* cit. proposita eam ad quaestionem exantlandam peti posse, quod *Leyserus* ceterique cum eo consentientes homines pragmatici tanta cum fiducia ad labefactandam clarissimam sapientissimamque *Alexandrini* rescripti in *L. I. Cod. sine consuetudine*, sanctionem in auxilium vocant. Ad meas partes in praesenti prorsus non spectat, ut impense et vndiquaque omnia conquirerem argumenta, ex quibus evinci posset, ipsam



ipfam conuentionem de tributorum oneribus ex fundo vendito in venditorem reiiciendis inita, ipso iure inuvalidam esse, nullosque etiam plane inter emtorem et venditorem operari posse effectus; de sola eaque vera *L. I. C. sine Censu* interpretatione verba quaedam facturus. Id tamen bene scio, nullum plane in corpore Iuris Iustiniani monumentum exstare, quod aliam et ALEXANDRI augustali rescripto oppositam sententiam comprehenderet, adeo vt male prorsus accusauerit, prout plerumque fieri solet, LEYSERVS Triboniani imprudentiam, quod in hoc capite contrarias veterum iuris ciuillis auctorum opiniones in Iustinianeis consarcinauerit voluminibus.

Priusquam vero rectam *l. I. Cod. sine censu*, interpretationem adgrediar, ante omnia opus est, vt moneam omnes fere iuris ciuillis interpretes huius legis explicationem non tantum ex *l. II. Cod. de Pactis* illustrare, sed potius eam ex illa lege penitus deriuare et emendare solere, adeo vt iam DIONYSIO GODOFREDO in notis ad *l. I. Cod. sine censu* emendatio FRANCISCI HOTOMANNI, qua particulam negatiuam ex postremis huius *l. I. Cod. sine censu* verbis eliminare ausus est, valde placuerit, et quamuis pragmatici homines critico hoc emendandae lectionis in monumentis iuris Romani officio non defungi soleant, eorum animis tamen hec emendatio Hotomanniana vehementer se insinuaui, adeo vt veram sinceramque Alexandri Imperatoris mentem penitus ex lege *II. Cod. de Pactis* intelligendam esse, ad vnum fere omnes contendere soleant. Huius communis quasi opinionis argumentum, non inficias eo, valde sustinetur per ipsam subiectae speciei, ad quam idem Imperator Alexander in vtraque lege rescripsit, imo per totam inscriptionum atque subscriptionum similitudinem. Subiecta species, quam Imperator rescriptis suis tractauit, est:

est: mulier fundum marito suo in dotem dedit, simulque vero dotali conuentione cum marito pacta fuit, vt ea ipsa mulier durante matrimonio tam vsuras creditoribus, quibus fundus dotalis obligatus esset, solueret, quam etiam tributa reddituum publicorum receptori soluenda, agnosceret, adeo vt maritus durante matrimonio nec ad vsuras creditoribus fundi pignerati, nec ad tributa ex fundo dotali soluenda obligatus esset. Iam cum nihilominus maritus durante matrimonio et vsuras creditoribus et tributa receptori publico soluisset, heres defuncti mariti ab Imperatore quaesuit, vtrum ei a muliere, ad quam dos finito matrimonio reuertebatur, iure liceret, has solutas vsuras haecque soluta tributa repetere. Et super hac quaestione eidem Capitoni, qui filius et heres defuncti mariti erat, Alexander Imperator in LL. cit. rescriptit. Verba enim rescripti in lege II. Cod. de Pactis sunt:

IMP. ALEXANDER A. CAPITONI

*Ex conuentione quidem, qua pactam nouercam tuam cum patre tuo dicis, cum fundum in dotem daret, vt CREDITORIBVS, quibus fuerant praedia obligata, vsuras SOLVERET: actio tibi aduersus eam competere non potest, etsi pactum in stipulationem deductum probetur. Sed si fundus aestimatus (ita vt pars instrumenti significat) in dotem datus est: ex vendito actio, vt placitis stetur competit. P. P. Non. Decemb. ipso A. III. et Dione. II. conll. Verba autem rescripti, quod continetur in l. I. Cod. sine censu, haec sunt*

IMP. ALEXANDER A. CAPITONI

*Ex conuentione quidem, qua pactam nouercam tuam cum patre tuo dicis, cum fundum in dotem daret, vt ipsa tributa agnosceret, actio tibi aduersus eam competere non potest, etiam si pactum in stipulationem deductum probetur.*  
Sed

*Sed et si fundus aestimatus, ut pars instrumenti significat, in dotem datus est: ex vendito actio, ut placitis stetur, non competit. P. P. Non. Decembr. ipso A. 3. et Dione Conf.*

Si subscriptiones utriusque huius rescripti comparantur, non liquet solum, iisdem fastis consularibus, recte id etiam referente PETRO RELANDO in opere eximio, quod de fastis consularibus ad illustrationem Codicis Iustiniani et Theodosiani composuit, pag. 163, sed etiam eodem prorsus die utrumque rescriptum datum esse. Id tam omnino est, ut moneam PETRUM RELANDUM ad subscriptionem fastorum ALEXANDRO A. III et DIONE H. CONSS. quidem L. 1. Cod. sine censu retulisse; verum in omnibus, quot quot mihi adire licet, melioribus et criticis Codicis Iustiniani editionibus, LUDOVICI nempe MIRAEI. Paris. 1553. ANTONII CONTII Paris. 1762. LUDOVICI RVSSARDI Antv. 1567. et tandem quae optima curatissimaque omnium est, LUDOVICI CHARONDAE Antwerp. 1567. subscriptionem in L. 1. Cod. sine censu legi P. P. Non. Decembr. ipso A. III. et DIONE CONSS. Inscriptio autem harum legum monstrat, eidem Capitoni ab Augusto rescriptum esse, ad quem ipsum aliud etiam eiusdem plane Imperatoris Alexandri in L. 3. Cod. de compens. in Codice Iustiniano extat, ut RELANDVS etiam l. c. monuit, sed sine omni subscriptione, adeo ut incertum maneat, utrum hoc ad Capitonem quoque ALEXANDRO A. et DIONE CONSS. datum fuerit. In utroque autem nostro rescripto Imperator tractat casum de fundo in dotem dato et de conuentionum validitate instrumento dotali adiectarum. Altera conuentio super cuius validitate Imperator respondebat Capitoni, de eo concepta erat, ut mulier durante matrimonio creditoribus, quibus fuerat praedium dotale obligatum, usuras

B. solueret,



solueret, et haec ab Augusto in *L. 2. C. de Pactis* exantlata est. Altera vero conventio dotali instrumento adiecta in eam causam celebrata erat, *ut maritus durante matrimonio nullo tributorum propter praedium dotale soluendorum onere teneatur, sed ut ipsa mulier illa tributa agnosceret, et super huius pacti validitate rescripsit Augustus L. 1. Cod. sine censu vel reliquis fundum comparari non posse.* Proinde omnino liquet, non de eadem re et super eadem iuris quaestione tractari in utroque rescripto. In illo enim, quod continetur *L. 2. Cod. de Pactis*, et quod de usuris a muliere durante matrimonio creditoribus pignus in fundo dotali habentibus, soluendis, agit Imperator a verbis *ex conventionem quidem — — — usque ad verba deductum probetur* de fundo non aestimato in dotem dato, aut quoad hoc fundi dotalis argumentum idem est, de fundo aestimato quidem, sed solius taxationis causa, ut pragmatici loqui solent, aestimato tractat et inualidam hanc esse conventionem, statuit, adeo ut Capitori aduersus noueram ad repetendas usuras a defuncto mulieris marito solutas nulla competere possit actio, etiamsi pactum in stipulationem deductum probetur. Ratio rescribendi, quae Imperatori obuersabatur, in promptu est, quod nempe maritus ex fundo dotali non aestimato et creditoribus pignorato usuras crediti, quippe quae ad sumtus a marito dotis causa ferendos atque adeo ad ipsa matrimonii onera omnino pertinerent, soluere teneatur, cum praedium dotale iam ante nuptias atque ante perfecta dotalia instrumenta creditoribus pignorum esset. Iam vero, si vxor durante matrimonio eam solueret pecuniam, quam maritus onerum ipsius matrimonii ferendorum causa soluere debet, donatio certe in hanc rem a muliere durante matrimonio in maritum fieret. Verum enim vero nulla donatio inter virum et vxorem Iure ciuili valida est, nisi morte donantis confirmata

firmata sit. Iam autem maritus, Capitonis pater, ante obitum donantis vxoris vitimum suum subierat factum, atque adeo ipso iure secundum liquidissima iuris principia irrita fiebat tota haec quae subisset donatio inter virum et vxorem. Proinde liquet, nullam certe Iure ciuili ab Alexandro Imperatore, Capitoni permitti potuisse ex dotali conuentione actionem, ad has vsuras a defuncto marito durante matrimonio creditoribus solutas repetendas. Si quis vero ex hoc Divi ALEXANDRI responso argumentum vniuersale petiturus esset, omnem nempe prorsus dotalem conuentionem, qua mulier vsuras ex praedio dotali inaeestimato creditoribus hypothecariis soluendas in se recepit, adeo vt ab ea ex bonis suis non dotalibus soluerentur, irritam inualidamque esse, nae is profecto ingenio suo abuteretur, atque Alexandri sanctionem ibi crudeliter detorqueret, vbi tamen ex substrata specie explicanda esset. Si enim species ita poneretur, vt vxor ante obitum mariti, nullo interueniente diuortio diem suum obiisset, tunc certe eiusmodi dotalis conuentio omnino valeret, quoties vxor ante obitum suum hanc euentualem pacto dotali celebratam donationem non reuocauerit. In altera autem rescripti parte, quam verba: *sed si fundus aestimatus — — — ex vendito actio, vt placitis stetur, non competit.* Imperator ad repetendas vsuras a defuncto marito solutas aduersus nouercam Capitoni concedere nullus dubitat, ex ea nempe ratione, quod fundus aestimatus (venditionis causa) in dotem datus sit, atque adeo sec. L. 10. *Cod. de iure dotium* per pactum, quod doti insertum est formato simul emtionis contractu inter virum et vxorem ipsius dotalis fundi dominium in maritum translatum fuerit, et quod per consequens, vxor ad aes alienum tam ratione vsurarum, quam ratione fortis, cuius securitatis causa fundus dotalis atque sub euentu venditus creditoribus pignoratus erat, soluendum

uendum ipsumque fundum ab omni hypothecarum nexu liberum marito suo praestandum obligari omnino potuerit. Et sane intuitu aestimati fundi dotalis nulla ratione usurarum ab ipsa muliere durante matrimonio soluendarum subesse poterat donatio inter virum et uxorem, quae validitati huius conuentionis dotalis impedimento esse posset.

Haec erat decisio, quam Imperator quaerenti Capitoni super usuris a defuncto marito creditoribus solutis, suppeditabat. Iam vero et alia quaestio Capitoni *super tributa a defuncto solutis* in auditorio principis tractabatur, ad quam rescriptit Alexander in saepius laudata *L. 1. Cod. sine censu*. Pari ratione, qua fecerat, in Rescripto *L. 2. Cod. de Patris*, Imperator etiam in hoc rescripto *L. 1. Cod. sine censu*, inter fundum aestimatum et non aestimatum, aut quod in hoc momento quaestionis nullum discrimen patitur fundum solius taxationis gratia aestimatum. Prima pars rescripti continet, a verbis *ex conuentione quidem* — — usque ad verba *deductum probetur*, decisionem quaestionis ratione fundi dotalis non aestimati, aut saltem taxationis causa aestimati, adeo ut quoque actionem ex hac dotali conuentione Capitoni competere posse, ad repetenda a muliere ea tributa, quae defunctus subsistente matrimonio soluebat, eadem prorsus ex ratione negaret, ex qua irritam hanc conuentionem super usuris soluendis inter virum et uxorem initam declarauit in prima parte *L. 2. Cod. de Patris*. Tributa enim ex fundo dotali non aestimato a marito subsistente connubio soluenda ad onera etiam matrimonii pertinent, ex ipsa dote praestanda quoniam in maritum proprietas fundi dotalis non aestimati non transfertur, atque adeo ab eo non tanquam fundi domino et ciuili possessore, sed tanquam a marito fundum hunc dotalem ad onera ipsius matrimonii impendente praestanda sunt. Si igitur vxor dotali conuentione maritum ab eiusmodi oneribus

ex

ex dote praestandis liberare vellet, certe liberalitatem ratione horum tributorum durante matrimonio soluendorum in maritum suum conferret, atque igitur donatio etiam inter virum et uxorem hac in re subesset, et consequenter, cum haec donatio per obitum mariti ante donantem uxorem, ipso iure irrita facta fuerit nulla certe actio ex dotali conuentione ad repetenda haec tributa a marito soluta Capitori enasci potuit. In altera tandem huius rescripti parte ALEXANDER intuitu fundi dotalis venditionis causa aestimati, Capitori eam insuper actionem intuitu tributorum ex fundo dotali solutorum repetendorum disertis verbis denegauit, quam ipse intuitu vsurarum in *L. 2. Cod. de Pactis* Capitori concedere nullus dubitauit, et quidem ea ex ratione, quoniam venditori non licere potest, fundum absque tributis vendere emtori.

Tributa enim ad onera fundorum pertinent publica, et in nullius priuati potestate esse potest, fundum ab oneribus publicis liberum priuato contractu in alium transferre. Longe alia suberat ratio intuitu vsurarum creditoribus ex fundo dotali et pignorato praestandarum. Haec enim facta debitoris per solutionem nempe ipsius crediti eiusque vsurarum a fundo dotali et vendito separari possunt, non vero tributa, nullam plane causam priuatam habentia, vilo priuatorum facto a fundo separari possunt, vt repetitis sanctionibus etiam multum post tempora ALEXANDRI constituerunt et de nouo confirmarunt Imperatores CONSTANTINVS et CONSTANTIVS atque IULIANVS in *L. 2. et 3. C. eod. tit.* Ceterum hanc differentiam tributorum atque debiti priuatam tantum habentis causam in fundo vendito, atque per consequens etiam in fundo dotali venditionis causa aestimato, iam digito factim tetigerunt duo iurisprudencia humanioris sidera IACOBVS CUIACIVS et ANTONIVS FABER ad *L. 53. D. de Pactis*. Ieiunus

plane est Iacobus Wissenbachius in explicandis augustalibus his rescriptis, quae in L. L. a nobis expositis continentur, et certe eius visionibus diluendis operam non supervacaneam impensam iri putarem, nisi scriptionis cancelli id prohiberent, et ut ad eam principem causam decurrerem prorsus iuberent, quae haec differendi potissimam dulcissimamque dedit opportunitatem.

Post Iurisprudentiae enim studium legitimo ordine coeptum feliciterque, quantum quidem in lectionibus academicis frequentandis fieri poterat, ad finem perductum, postque proprio maxime labore et indefessa, imo prorsus mirabili industria tantos in eodem et omnibus in illis disciplinis, quae ad elegantiores humanioresque Iuris scientiam aditum certissime aperiunt, in re antiquitatum, in re critica, in lectione atque usu continuo optimorum Graecorum Romanorumque scriptorum, fecerat progressus, ut omnibus fere adolescentibus egregiis his facinoribus exemplo esse possit, ordinem Iureconsultorum in hac litterarum uniuersitate adiit atque ut sibi supremi in Iure utroque honores conferantur ab eo decenter petiit

Nobilissimus atque clarissimus Candidatus

*Fridericus Nathanael Volmarus* Vratislaviensis

de cuius natalibus, vita, studiis et virtutibus nunc paulo curatius dicendum est, et cum ipse vitae suae descriptionem Ordini nostro obtulerit, in qua breuiter et insigni cum modestia delineauit, quam a tenera aetate in capeffendis litteris scientiisque inuenerit rationem eo libentius illam hic inferendam ducō, quo certius meliorum Eius litterarum amorem, incredibilem discendi ardorem studiorumque constantiam plane eximiam ex ea intelligere licet.

*Natus sum* Anno MDCCLVIII. Petersdorfio, vico prope Sude-tes sito. Si quid in me est ingenii, aut si qua virtus, aut doctrina, eas res omnes vel imprimis Io. Tob. Volmarus, Ecclesiastes ad Aedes S. Elisabethae, vicini Gymnasii Professor Theologiae, Assessor Consistorii



Consistorii Vratislaviensis, Praefectus Bibliothecae Burgianae, Pater optimus et Maria Magdalena Streckenbacha, mater dulcissima, vindicare sibi prope suo iure debent. Patre illo pio, optimo, qui me semper profectus est summo amore aequae ac incredibilibus beneficiis, ut sacra faceret, Vratislaviam vocato auctoritate publica, recepit me vrbs illa quae Silesius nobis est patria iuris.

Quoad artes illas, quae ad humanitatem pertinent, praeter Ierickium V. Cl. qui certe et doctrina, qua excellit, et animi integritate bono et viro docto cuique commendatur sua, quemque quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis, video mihi principem et ad suscipiendam et ad ingrediendam rationem horum studiorum existisse, usus sum praeceptoribus Io. Casp. Arletio V. ill. qui sibi multam peperit laudem, Rectore Gymnasii Elisabethani Vratislaviensis, et reliquis, qui modo dictum Gymnasium ornant, Professoribus. Anno MDCCCLXXV Academiam petentem Hallensem, Prorector tunc temporis Magnus D. Carolus Fridericus Pauli, philosophiae ac Historiae Professor publicus ordinarius in tabulis retulit me civium academicorum. Ibi Lectiones philosophicas VV. Excell. Foersteri, B. Meieri, historicas Thunemannii; Iuris criminalis, reique litterariae Dan. Nettelbladrii V. Perilli; Iuris publici, germanici, aliasque quae ad elegantiorum faciunt legitimae nostrae scientiae cognitionem B. Bertrami; practicas et Iuris Digestorum et Controversiarum iuris Phil. Jac. Heisleri; iuris et quod natura omnia animalia docuit, et quo gentes humanae utuntur; Institutionum D. Iustiniani, Sacratissimi principis, Digestorum, Iuris feudalis, Canonici, Io. Chr. Woltaeri (Quorum omnium merita sunt laude mea maiora) frequentavi et publicas et priuatas. Quibus acceptis legibus, cum spes me foueret illa, fore, ut nostra respublica in partibus eius credendis possit gubernari: conscripta et defensa prius D. Io. Chr. Woltaero Praefide dissertatione de Conditionum natura et indole, Vratislaviam me contuli, ibique quae mihi ab illustri Collegio Iustitiae provincia mandata est, ex actis reuli. Sed nec haecce respondebant votis meis, quippe qui doctorem illam dignitatem omnibus praeferebam ceteris.

Tot litterarum praesidiis instructus inter vberrimas ingenii dotes, studiorumque vigilias se omnino dignum reddidit, quos ambit, honoribus. Ad examina igitur consuetata ab Ordine nostro admissus non in tentamine solum ad omnes ex vniuerso iure maxime ex elegantiori iuris doctrina de promptas quaestiones non minus docte quam prompte respondit, sed in examine etiam rigoroso *c. VIII. X. de Renuntiatione et l. 7. Cod. de iure deliberandi* tam erudite expo-

exposuit omnibusque ei obmotis dubiis tam bene luculenterque obuiam iuit, vt unanimi suffragio iudicatus fuerit dignissimus Doctoris in vtroque iure dignitate, gradu, iuribusque capeffendis. Nihil igitur amplius restat, quam vt *publicum* eruditionis suae eximiarumque virtutum exhibeat monumentum *CONSULTISSIMVS CANDIDATVS*, qui in priuatis coram Ordinis nostri confessu edicis speciminibus tam bene steterat. Id vero proximo die veneris qui erit *XVI. Octobris* faciet et dissertationem inauguralem de *INTESTATORVM ATHENIENSIVM HEREDITATIBVS* absque praeside tuiturus est. Et his ex voto peractis summi in vtroque iure honores rite et more maiorum eidem a me conferentur. Quibus omnibus, vt vos, *MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR*, *CELISSIMVS PRINCEPS*, *ILLVSTRISSIMVS COMES*, *PERILLVSTRES LIBERI BARONES*, *PROFESSORES OMNIVM ORDINVM CELEBERRIMI*, ceterique *VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES*, *GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQVE COMMILITONES*, omnesque bonarum litterarum fautores, interesse ipsaque solemnia haec *CONSULTISSIMI CANDIDATI* inauguralia praesentia Vestra honorifica cohonestare et exornare non dedignemini, quam officiosissime et quam diligentissime rogo.

P. P. Traiecti cis Viadrum d. XV. Octobris MDCCCLXXIII.



Frankfurt a. O., Diss., 1776-97


ULB Halle 3  
007 520 611



W18







1798, 1  
9

CONSULTISSIMI  
ATQUE EXIMII  
SUPREMORVM IN VTROQVE IVRE HO-  
NORVM CANDIDATI  
FRIDERICI NATHANAELIS  
VOLCMARI

VRATISLAVIENSIS  
SOLEMNIA INAUGVRALIA

D. XVI. OCTOBRIS MDCCLXXXIX.

PVBlice RITEQVE CELEBRANDA  
INDICIT

NON NVLLA

*DE VIRTUTE CONVENTIONIS QVA FVNDI VEN-  
DITI TRIBVTA IN VENDITOREM  
TRANSFERVNTVR*

AD L. XI. COD. DE PACTIS ET L. I. COD. SINE CENSU ET RELIQVIS  
FVNDVM COMPARARI NON POSSE

PRAEFATVS

GEORGIVS SAMVEL MADIHN  
ORDINIS IVRISCONSULTORVM H. T. DECANVS.

TRAIECTI AD VIADRVM,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI.

